



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quando licet vel non licet iudicare proximum, traduntur regulæ. Cap. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

CAPVT VNDECIMVM.

Decima causa vitandorum iudiciorum temerariorum est.

111. **Q**Via in Christum redundat iniuria, quam patiuntur temerè condemnati. In prato Spirit. cap. 65. scribitur de venerando sene B. Stephano Presbytero: *Quod cum aliquando recur illius grauer infirmaretur, ex qua infirmitate sancta illa anima migravit à corpore. coegerunt illum medicis carnem manducare. Erat autem illi frater secularis quidem sed valde religiosè. & secundùm Deum viuens. Factum est autem, cum carnes comederet Presbyter, superuenit frater eius secularis, vidensque illum rescentem carnibus, scandalizatus est, & valde conuulsus, quod ex tanta abstinentia atque continentia (erat enim Monachus) in extremo vite sue tempore, ad comedendum carnes deuolutus esset. Mox ergo in extasi factus, vidit quendam dicentem sibi, quare sic de Presbytero scandalizatus es? quia illum vesci carnibus vidisti: Nescis, quia necessitate compulsus, & propter obedientiam id fecit? nempe propterea scandalizari non debuisti. Nam si merita & gloriam fratris tui videre cupis, retro conuertere, & vide. Conuersusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Atque ad eum is qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus est. Cur putamus tali viso ostensam innocentis Stephani temerè condemnati innocentiam? nisi ut Christus ostenderet, se quodammodo crucifixum, & in cruce pendentem torqueri, dum eius famuli iniquè iudicantur.*

112. **S.** Catharina Senensis accito ad se Confessario suo Raymundo (vtri ipsemet postea scripsit in eius vita) cum ei quædam illo die sibi à Domino reuelata exponeret, & grandia quædam & inusitata aliis referret, Raymundusque de quibusdam cogitaret apud se. Putasne vera esse omnia quæ dicit? simulque intendisset in faciem loquentis subito vidit faciem eius, in viri barbati faciem transformatam, qui fixis oculis in illum respiciens, valde illum terrefecit. Erat autem facies oblonga, ætatis mediæ, barba non prolixa, colore triticeo, maiestatem quamdam præferens, vnde manifestè se Dominum ostenderet. O, quis est qui, me respicit? Respondit virgo: Ille, qui est, his dictis mox facies illa disparuit, & facies Virginis rediit. Quod ipse Raymundus cum scripsisset sibi cõtigisse scribit: *se coram Deo securè loqui, quia ipse Deus & Pater Domini Nostri Iesu Christi scit, quia non mentior.*

113. **Sic** cum Maria Gabriella monialis dubitaret de extasibus Catharinæ Ricciæ Dominicanæ, aspiceretque eam in extasi raptam, vidit faciem Catharinæ mutatam in faciem Christi, & tunc Catharina apprehenso capite Gabrielæ & lateri suo applicato, dixit existens adhuc in extasi: *Credis tu me esse, Catharinam vel Iesum?*

idque ter interrogauit: cui Gabriella respondit: Iesum te esse credo. Et sic dubitatio illa euauit. Interrogata deinde Catharina, vnde profecta esset hæc in vultu eius mutatio? respondit: Non scio vos eum qui habitat in Domino, Dominum quoque habitare in eo?

CAPVT DVODECIMVM.

Vndecima causa esse potest

114. **Q**Via Deus miraculis ostendit ne temerè iudicemus. S. Ephrem, vt scribit Amphilocho, in vita S. Basilij to. 1. Surijs p. 15. 1. Ianuarij, cum Deo reuelante in eremo vidisset columnam ignis, vertice attingentem cælum, & vocem supernè allatam audiisset: *Ephram, Ephram, columna ignis quam vidisti magnus Basilus es: cum venisset ad magnam Ecclesiam Cæsareæ die Theophaniæ, conspecto Basilio in Ecclesiam procedente induto stola candida, Cleroque amictu candidis vestibus, desperabat visionis sibi ostensæ veritatem. Ita secum dicens: Nos qui portauimus pondus diei & æstus, nihil consecuti sumus; & hic tantis stipatus turbis, tantaque præditus dignitate, ignis columna estrid mihi quidem prodigiosum videtur. Eo talia cogitante, mittit Basilus semel ac iterum, qui Ephram in angulo latitantem ad se vocet, nominando eum, & cum occultas ei postea aperuisset eius cogitationes, & ante hoc vidisset linguam igneam loquentem per os Basilij, agnouit suum errorem.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Duodecima causa est

115. **Q**Via sæpe bona sunt vel ob necessarium finem fiunt, quæ videntur inexpertis mala. S. Philippus Nerijs teste Gallonio in eius vita lib. 1. anno 1551. solebat ante Sacrum, etiam tunc, dum se vestiebat sacris vestibus, distractionis vacare operibus, vt diuinos raptus, quos patiebatur, hac sui piâ distractione temperaret: quod tamen eius deuotionis ignarus, vitio attribuere potuisset.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Nunc videndum est quando, & cui licet iudicare, vel non iudicare proximum.

116. **P**rima Regula. Res animi internas, à libero arbitrio hominis pendentes, nulli vnquam licet iudicare; quia hæc soli Deo notæ sunt: etiã Angelis ignotæ, nisi illas Deus reuelet. Tales sunt interni

terni defectus, desideria, intentiones. Hoc docet Apostolus 1. Cor. 4. v. 5. Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Ille enim solus ut inquit Salomon 3. Reg. 8. v. 39. nouit cor omnium filiorum hominum. Ita ut quemadmodum inquit Iob cap. vlt. v. 2. nulla eam lateat cogitatio; idque non tantum præsens, sed omni tempore, Ecclesiastici 4. 2. v. 19. cognouit Dominus omnem scientiam, & inspicit in signum eui, annuncians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt, reuelans vestigia occultorum. Qui ergo temerè iudicat de internis intentionibus & defectibus, arrogat sibi id quod est proprium Dei, & se Prophetam facit cum non sit. De talibus loquitur Sapiens Prou. 23. v. 7. Ne comedas cum homine inuidio, & ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris affirmat quod ignorat.

Etiã Ecclesia, ut ponderauit B. Laurentius Iustinius l. 1. de Spirituali agnitione interitu col. 3. humiliter freta prudentia absque personarum acceptione cunctos amplissimo charitatis sinu suscipit confluentes ad se, in quibus rectæ fidei sit vocalis confessio. Nam de cordis credulitate, quæ iustificat hominem, nihil discernere audeat, relinquens huiusmodi examen ei, cui soli secreta cordium sunt nota. Hinc quorundam presumptuosorum est redarguenda temeritas, qui nedum proximarum opera discurrunt, verum etiam alieni cordis se faciunt iudices. Volunt quippe iudicare quales sint hominum cogitationes, quibus ducantur affectionibus, quæ intentione operentur, quos spiritu moueantur, quod omnino non licet. Cum nemo scire valeat quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in illo est, quaquam per sepe contingat, quod sibi ipsi ignotus sit. Dinam in se tales reflectunt auctoritatem, quæ interiorum sola est capax, dum intentionum, cogitationumque abdita penetrare posse se putant. De his legitur sic, ambulabunt in tenebris sicut in meridie. Porro quæ admodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi sunt, qui mentium proximorum profunda consilia curiosè inuestigatione perlastrant. Et ex hac iudicia temeraria contingentes, in nocte ignorantia ambulantes meridie se aspexisse exultant. Tales Apostolus redarguens ait: Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et accendenda prorsus sunt à fidelibus ista iudicia, quæ absque peccato fieri nequeunt, cum ex quadam cordis, ut plurimum, temeritate proveniant. Ipsi soli cordium sunt, humiliter referenda iudicia, qui in aquitate iudicaturus est orbem; luceque suæ singularum hominum latebras intrens; & septentia suâ vniuersa discerunt, adeo ut quicquam ei lateat non possit, dicente Apostolo, visus est Dei sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio aucipit, percingens vsque ad diuisionem anime, ac spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Ita ut nulla creatura inuisibilis sit ei: omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius. Quamobrem

Lancij Opus. Tom. 2.

sicut nemo iudicandus; ita nemo est ab homine damnandus, quantumcumque scelestus & malus, quantum in hac peregrinatione subsistit. Quoniam Dei iudicia, quæ erga hominum salutem exercentur, incomprehensibilia sunt, adeo, ut nullus sit, qui in eorum consideratione non claudicat. Nam euenire sæpè cognoscimus, ut qui heri nequam fuit, hodie efficiatur bonus. Et quæ gehenne filius existimabatur, in filiorum Dei sit numero computatus. Ad refecanda itaque temeraria iudicia, zizaniorum nobis Dominus in euangelio parabolam posuit, in qua illos compefcuit, qui ante tempus messem illam euellere cupiebant, dicens: Sinite utraq; crescere, ne forte eradicare volentes zizania, pariter cum illis eradiceis & criticum. Sic plane in iudicandis proximorum meritis frequentissimè contingit, ut damnetur iustus, accusetur innocens, & electus à Deo, reprobis existimetur. Quid (quæso) ante conuersionem Paulus fuit? Nonne lupus rapax, persecutor Iesus, importunus insidiator, tabidusque occisori? De illo quippe sic legitur: Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos inuenisset huius via viros ac mulieres, viuolos perduceret in Hierusalem. At verò ut prostratus est solo, corporis cecitate percussus, vocatusque de calo: Saul Saul, quid me persequeris? agnuculo factus mansuetior ait: Domine quid me vis facere? Quis illum gratiæ Dei arbitratus non fuisset indignum, cum vidisset eundem discurrere, Christianos rapere, ligare, trahere, verberare, occidere. Nihilominus vad electionis erat præcipuum, ad prædicandum nomen Domini coram regibus, & gentibus, & filiis Israël. Maximum in Paulo nobis iudicandi neminem præbetur exemplum, qui tanta celeritate, tantaque cum gratiarum abundantia in vitam mutatus est alterum, factusque est præclarum lumen mundi, gentium Doctor egregius, Apostolorum collega præcipuus, ac Ecclesiarum sollicitus gubernator. Erat priusquam vocaretur Mattheus publicanus, lacris deditus immoderatis, telonio publicè inseruiens, sola quæ mundi sunt, quærens, & à Sanctorum contubernio segregatus. Hunc ut vidit Dominus, vocauit ad se, in eius domo discubuit, traxit e seculo, & Euangelistam fecit. De iustificatâ peccatrice quid memorem, quæ inspirata diuinitus, in melius, marata, facinoræ suæ deplorando correxit? Nam accessit ad Christum cum multis in conuiuio residentem, secus pedes ipsius sedens, quos lacit lacrymis, crine deterse, osculata est labiis, unxit unguento, nec inde discessit, donec commendatâ ipsius fidè deuorâ audire promeruit. Fides eam salutem fecit, vade in pace. Nullus igitur desperet de se, neque dissidet de altero, veniam apud Dominum posse reperire, & gratiam. Cum agnoscat de Saulo Paulum, de publicano Apostolum, & de famosa peccatrice Dei Sapientiam discipulam sibi effecisse carissimam. Omnes hi viuentes in corpore, mortui in anima erant, & cæmen per gratiam resuscitati sunt longe excellentius, quam prius. Vt nosse in carne adhuc degentem, in spiritu mortuum fuisse resuscitatum ad vitam: Parabolam adolescentis recole, qui consumpto cum meretricibus patrimonio, famis tæbe confectus, penitendo

Hhh 3

penitendo

penitendo ad patrem rediens humanissime exceptus est: primò solà iudatus, ornatus annulo, atque vituli saginati: sibi cibatus edulio, propter quod inuidus frater maior indignatus, atque correptus à patre audiuit: Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit, & perierat, & inuentus est. O quantum est hæc gratia commendanda, quæ de atrio contritum, de impio iustum, & de noxio innocentem facit. Et quidem huius gratia occasione offendunt multi, & pereunt, trahuntur quæ ad interitum sempiternum, dum illam putant ad vota sibi posse præstari. Attendant quam bonus sit Deus, quam misericors, quam præstabilis super malitia hominum, atque ex quotidianis conuersionibus peccatorum, ipsum erga penitentes intelligunt esse placabilem, præsertim cum per Prophetam pollicitus sit dicens: Quotiescumque peccator ingemuerit, non recordabor amplius iniquitatum suarum. Iterumque: si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, uita uiuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. In iustitiâ suâ, quam operatus est, uiuet.

Sic peccauit Simon Phariseus dicens Luca 7. v. 39. Sic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis esset mulier, quæ tangit illum. Et illi quos Christus arguit Matth. 9. v. 4. Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Et adeo nunquam de illo cogitandum, vel dicendum est, istud dixit, istud fecit, tali intentione malâ, ut se vindicaret, ut hoc vel illud assequeretur, ut auram popularem captaret, &c.

117.

S. Ildor. Pelusiotal. 2 ep. 72. Quamquam arbor mala fructum boni ferre nequit: at ferre poterit, neque enim idem sunt, non posse, & potestatem habiturum non esse: verum illud præsens tempus, significat, in quo ignauus est ignauus: hoc autem futurum in quo fieri potest, ut qui paulo ante improbus erat, probus efficiatur. Atque hoc cum res ipsæ clamant mutationem singulis diebus subeunt, & Scripturæ ipsæ confirmant. Quoniam enim modo Dauid lapsus se erexit: Quoniam modo Paulus, cum persecutor esset, hanc culpam sarciniit, atque eius quem insectatus fuerat, præco institutus est: Quoniam pacto Petrus, postquam Christum abiurauit, huiusmodi labem absterxit: Quoniam pacto Niniuitæ salutem consecuti sunt: Quoniam pacto latro in paradysum missus est: Cognita igitur præsentis diuini auxilij facultate, *παροῦσιν ὁρί τῆς ἀγῶνης πονηρίας, ποτὶς, quisquis uult, & laborat, atque omnia mouet (neque enim nuda uoluntas sufficit) tum ad discit, tum fructum edit, tum salutem assequitur.*

118.

Secunda Regula, quoad futura. Nunquam est iudicandum malè de proximo, quæcumque tandem sint iudicia mala, quia & hoc solus Deus nouit. Qui uidisset latronem cum Christo duci ad supplicium, Christum in cruce blasphemantem, ut dicitur in Euangelio, Mat. 27. v. 44. & Mat. 15. 32. dixisset, pessimè moriturus, & tamen conuersus est. (ut putant etiam bonum latronem blasphemasse, Athanasius serm.

con. om. hæreses, Hilarius, Chrysostom, Theophyl. & Euthymius in c. 27. Mat. Iuacens in Poëmat. Quod etiam probabile putant esse Ambrosius, Hieronymus & Beda: etsi unum tantum fuisse latronem putent Cyprianus, ser. de Pass. Dom. Cyril. Hierof. catechesi communi 13. August. 1. 3. de conf. Euang. c. 26. Ambros. com. in Luc. Hieron. in c. 27. Mat. Leo serm. 2. de Pass. Greg. ser. 27. in Iob c. 16. & Maldonatus) & melius mortuus quam multi iusti post longam vitam diu in sanctitate transactam: nã à Christo audiuit: Hodie mecum eris in paradysis. Dei essentiam uidebis, ut exponunt Patres. Idè iudicium de Saulo Christianorum persecutore formari poterat: & de Magdalenâ, & de totâ illis. Hoc monet Apostolus Rom. 14. 4. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stas, aut cadit, stabit autem: potens est enim Deus statueret illam: id est facere, ut qui nunc iacet in peccato, exurgat ad bonum.

Tertia Regula. Ex exterioribus quæ in se interiorè non sunt mala, sed possunt bene uel malè fieri, uel sunt dubia, non est condemnandus proximus nec iudicandus, multò minus accusandus. Quammodum stultus est, inquit Seneca. ep. 47. qui equum empturus non ipsum inspicit, sed statum eius, & frenâ sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste aut ex conditione quæ uisus modo nobis circumdata est, æstimat. Ne ex ingenio nescis, monet S. Theodorus Studita ser. 90. æstimamus alienum, quin suam quemque salutem in abdito nobis arbitremur, ut cunque foris alius appareat. An non patrum memoria permulti, qui nihil esse uidebantur, in qui aliquid uidebantur illustrius fuisse? Et S. Nazianzenus or. 21. num. 19. Existimo in dubiis & incertis rebus faciendum nobis esse, ut ad benignitatem & humanitatem propensiores simus, eosque qui in culpa sunt, absoluiamus potius, quam condemnemus. Si culpæ reos absolueno desinet iste Sanctus, quanto magis qui culpâ vacant, sed rebus indifferentibus sunt dediti, quæ tibi displicent, & tibi similibus.

Ratio est: quia non est causa cur potius malè quam bene iudicare debeas; siquidem æquè potest esse hoc ut illud; & charitas suadet, ut bene de proximo cogitemus: quia 1. Cor. 13. 5. Charitas non cogitat malum. Contra hoc peccarunt filij Israël dum ob altare magnum à filiis Ruben & Gad ædificatum iuxta Iordanem, uoluerunt pugnare cum illis, & delere possessionem eorum Ios. 22. v. 12. 31. putantes eos ædificasse ad sacrificia in eo offerendo, cum tamen alio fine esset extructum, quo intellecto, placati sunt v. 28. 30. Contra hoc peccauit Heli, qui ob motum laborum Annæ preces sine uoce multiplicantis, æstimauit eam ebriam 1. Reg. 1. v. 12. 13. quæ tamen nihil biberat, quod inebriare posset. Contra hoc peccauerunt illi qui Spiritu S. plenos ebrios esse putauerunt Act. 2. v. 13. & qui Christum condemnabant ut malum;

lum; quia cum peccatoribus versabatur, ut potatorem vini &c. De talibus S. Augustinus l. 22. contra Faust. c. 46. ait. *Tales homines si aliquem grauem virum ludicrum aliquid garrientem, cum pueris & paruulis viderint, quo eorum lactem sensum affabili, & nutritoria facilitate permulceant, tanquam delirantem & reprehendunt, oblitus vnde creuerint, aut ingrati quod creuerint.* Mirum magis, monitum à Deo S. Catharinam Senensem in dialog. c. 102. etiamsi videretur in visione anima alterius te nebricosa, eam non debere iudicari. Sæpenumero interdicit & fallitur humanum iudiciū, inquit S. Chrysostom. hom. 16. ep. Rom. præsertim in rebus dubiis. *Non audis, inquit idem S. Chrysostomus h. 45. ad pop. quod Pharisæus vera locutus est, & omnibus dixit manifesta, non latentia reuelauit.* (de publicano) *extremam tamen dedit penam: si verò de manifestis arguere non licet, multò magis de dubiis habet enim iudicem qui peccauit.*

120. **Quarta Regula.** Ex exterioribus quæ sunt omnino mala secundum se, vt, si quis priuatus occidat innocentem, si ebrius sit, si blasphemet, etsi res ipsæ in se condemnandæ sint, tamen nõ condemnanda persona, sed excusanda, non quod benè fecerit, sed quod fieri potest, vt non peccarit si ex primo motu id fecit, vel inaduertenter, & fieri potest vt is resurgat, & sit Sanctus, tu autem cadas, & non resurgas. Sic Dauid excusauit Semei, *Domine præcepti ei. Excusa, inquit S. Bernardus ser. 40. in Cant. intentione si opera non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicit apud te metipsum, vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecerit: si in me accepisset similiter potestatem &c.* Nam si & res tales condemnentur, displicet Deo. *Nonne contremiscere deberemus, inquit S. Dorotheus ser. 6. cum id quod magno illi seni acciderit audimus, qui cum audisset quendam ex fratribus in fornicationem cecidisse, dixit: oh, quam malè egit. An nescitis fratres, quam horrenda res de ipso narratur in libro seniorum? nam Angelus Sanctus animam illius qui peccarat, cum iam ex hac vita migrasset, ad senem hunc detulit, & ait illi: Ecce quem iudicasti vitâ sanctus est. Quo igitur animam eius tuius deserui, ad calorum regnum, an ad penas aternas: qua horrenda visione adeo percussus est Senior ille sanctissimus, vt totum reliquum vitæ suæ tempus in gemitibus, in lacrymis in innumeris erumnis & laboribus egerit. Deum absidit precibus fatigans, & pulsans, vt veniam tanti sceleris & erroris commisi sibi concederet. Ad pedes in idem Angeli postea cum se prauolisset, & veniam impetrasset, audiuit eum dicentem: Ecce ostendit tibi Deus, quam graue sit proximum diiudicare, ne post hac amplius rem hanc commiseris. Licet igitur veniam fuerit assecutus, nunquam tamen consolationem penitus admisit, nec eius anima vnuquam cessauit in luctu, donec morte vitam commutasset. Ponderate duo hæc. Primum iudicare, aliquem quod malè fecerit, si verè res mala sit ex natura*

121. sua, nullum esse peccatum dicunt Theologi. Secundò, ad summum veniale peccatum erat hoc iudicium, & tamen graue vocatur ab Angelo, & à S. Sene tam diu defletum. Cautemur ergo ne proximum etiam ob res apertè malas condemnemus, sed excusemus. *In his, inquit Seneca l. 2. de ira c. 30. naturam excusemus voluntatemque facientium. Puer est qui peccauit, etati donec tur, nescit an peccet. Pater est, aut tantum profuit, vt illius iam iniuria tus sit, aut fortasse ipsum hoc meritum eius est, quo offendimus. Sic alia modis aliis defendimus. In vitis PP. l. 3. num. 139. Dixit quidam de senioribus, si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum qui impugnat eum, dicens: Ve mihi quia iste nolens victus est, sicut & ego, & plange, & inquire Dei solatium, quia omnes decipimur.*

122. **Quinta Regula.** Ex vno actu malo non condemnanda eundem, nec fac propositiones vniuersales de malitiâ eius ex vno actu vel duobus: quia qui hodie malus, potest cras esse bonus, vt fuit Dauid, & signum quod hodie fuit index malitiæ, cras potest non esse. Homines non sunt vt demones, quos S. Basiliius ideo ait in serpentis formâ Enæ apparuisse, quia post peccatum non possunt se erigere, & stare sicut non possunt serpentes. Hominis mutatio quæ oritur ex mutabilitate liberi arbitrij, in causa est, vt non possit ex pauculis actibus certum de eo ferri iudiciam. Vnde benè Phylemon Philosophus dicebat, se nulla re fatigari magis, quàm hominis naturâ variâ, & inconstanti. Cætera enim hæc singula cognoscuntur certò, leo nempe est fortis, lepus semper timidus, aquila semper magnanima, vultur semper vorax, columba semper simplex &c. Homo nunc cholericus, nunc phlegmaticus, nunc astutus, nunc simplex, nunc magni animi, nunc timidus, nunc huic rei adductus, nunc auertus. Ideo ex vno actu, non potest certum de eo ferri iudicium: immo nec ex pluribus.

123. Meritò ergo Deus ita docuit S. Catharinam Senensem in dial. c. 102. *Ni defectum proximi tui prius expresseris, non solum semel vel bis, immo sapius apertè manifestarem in mente tua, non debes in particulari redarguere illum, in quo tibi videtur esse defectus. Sed in communi corrigere debes vitia te visitantium charitatiuè. Quamuis ergo videatur, quod ego tibi pandam defectus alienos, nisi cognoscas expressè meâ esse reuelationem, non arguas in particulari, sed ambulâ per viam tutiorem, vt vitare possis astutiam atque fraudem diaboli.*

124. **Sexta Regula.** Licet tamen Domino, & Iudici, & Confessario condemnare, vt delinquentem, qui vel aliorum certis testimonis, propriâ suâ confessione est deprehensus in delicto. Sed & hac in re benignè procedendum est. *Quando tibi videretur in proximo tuo, defectum, aliquem agnoscere ait Deus S. Catharinæ Senensi in dial. c. 102. cum quadam humilitate dulci, vnâ secum er-*

iam remetiſſam argue. Tunc vero ſi vitium illud erit in proximo quem corrigere cupis, abſque dubio corripietur & emendabitur agilius, attendendo ſe ita dulciter eſſe reprehenſum.

125. *Septima Regula.* Licet Domino & Superiori non condemnando nec inclinando iudicium ad vnam partem magis, eſſi nihil certi concludat, timere & cautum eſſe, ne decipiatur alter, ne damnum patiat. Experiencia enim edocti alienorum defectuum, poſſunt præcauere mala, non definiendo eſſe commiſſa, ſed timendo ne ſint. Sicut pauperem domum ingreſſum non licet condemnare vt furem, licet tamen cuſtodire domum, ne ſi forte iſ ſit ingreſſus animo furandi, furetur. Quia de re vide S. Thomam 2. 2. q. 60. a. 3. Menochium de præſumptionibus l. 1. q. 7. a. n. 41. Farinacium to. 2. q. 36. num. 172. & 176.

126. *Oſtana Regula.* Tenetur Superior mala deprehendi hoc modo punire, vt emendentur mali, boni vitent. Heli ponitur eſt, quia frigide puniunt filios, & puniunt irremiſſibiliter 1. Reg. 3. 13. 14. vt ſupra oſtenſum eſt.

127. *Nona Regula* his omnibus ſubtilior tradita eſt à Deo S. Catharinæ Senenſis in dial. c. 103. Si quando in oratione videres in vno pro quo rogas, aliquod gratia lumen, & in alio non, non debes nec potes virtuoſe hunc iudicare, quod grani culpa ſubiaceat: quia frequentiffimè huiusmodi iudicium falſum eſt. Multoties enim contingit id non ex defectu ſuo, ſed quia ego ab eius anima me ſubtraxi per ſenſum non per gratiam, prout ego frequenter ago, vt anima perueniat ad perfectionem. Vnde tunc anima non ſentit aliquam dulcedinem & eſt arida, ſterilis, atque poenſa: quam poenam etiam extendere permitto vſque ad animam illius qui orat pro tali. Et hoc ago ex affectu ſua charitate quam habeo ad illam animam qua recipit orationem, vt ille qui me rogat vnâ ſecum adiuet, ad diſſoluendam nubem qua mentem eius obumbraverat. Itaque vides quantum eſſet arguendus ille, qui iudicare vellet ex iſta ſimplici viſione. Idem repetit c. 105.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ne in vſu harum Regularum erramus, & peccemus temerè iudicando & condemnando alios, hæc ſint remedia.

128. **P**rimum. Aſſueſcamus etiam res aperte malas non condemnare niſi ad hoc adigat nos obligatio conſcientiæ, vel officij ſuperioratus. P. Petrus Faber vti ſcribit Orlandinus in eius vita lib. 2. cap. 22. Præcipiebat in iuribus eorum aliquem vel Societatem, vt ſi quem forte nauum culpamq; grauiorem in eorum quopiam animaduertet, cauere ne non modo lingua, ſed ne mente quidem temere iudicarent, memores illius Chriſti vocis: Homo quis me conſtituit iudicem inter vos? ſeſequè identi-

dem ſic admonerent: Quid tu vitam iudicas alienam, cum Præpoſitorum iſtud ſit, non tuam; tuum autem non viſi tuorum eſſe iudicem delictorum: quibus iudicandis ne tu ſatis habebis negotij, ſi nihil tibi indulgere, nihil volueris aſſentiri. Senecaque vocem illam propoſitam ſemper habueris: Aliis parce, tibi nunquam. Hoc ſua debet B. Macarius hom. 15. non tantum Religioſis; qui perfectiores hac in parte eſſe debent, ſed etiam ſecularibus. Debent, inquit, Chriſtiani per omnia contendere, ne quempiam omnino iudicent, ſue meretricem proſtitutam, ſue peccatores, aut mordinatè viuentes; ſed ſimplici intentione, & puro oculo omnes ſpectare; ita vt hoc ipſum ſi cuique quaſi naturale & concretum, nec quempiam ſtocci pendat, aut iudicet, neſſe excreetur, aut habeat in aliquo diſcrimine. Quia verò lubrica humana iudicia & linguæ, dum aſſueſcunt deſectari naturæ defectus, facile declinant ad improbandos aliorum mores; ideo ibidem B. Macarius illud quoque cauendum ait: Si monachiſmum ſpectaueris, ne iudices in corde tuo, ſed proinde ac ſi ſanus eſſet illum inuere: mancum aſſice quaſi non mancum; claudum, velut rectè incedentem; paralyſicum veluti valentem.

Secundum remedium. Si quem cogat iuſtitia vel officij obligatio in aliorum facta inquirere, non ſit præceps, nec facile damnet, ſed prius ſtatum rei benè perſpiciat. Noli, inquit S. Ildorus Peluſiota lib. 1. ep. 310. ad Cyrillum Alexandrinum, quem tamen in ea iniuſtè condemnauit, ipſe ſuo monito indigens, noli, inquit violentas ſententias ſerre, verum illata crimina iſto & integro iudicio committe. Quandoquidem Deus ipſe qui omni a ſcit antequam oriatur, proſua humanitate deſcendere, ac Sodomorum clamorem perſpicere voluit, hinc videlicet nos ad res accurate perſcrutandas ac proferendas erudiet. Multum, inquit S. Nazianzenus orat. de moderat. in diſput. ſeruanda, diuque verſandus eſt animus, atque contrahendus, multa ſerenda, quam vt alium impietatis damnemus. Et nominatim de Superioribus loquens S. Chryſoſt. h. 11. in 1. Cor. Oportet, inquit, Doctores & magiſtros iudicare alios, ſed in peccatis manifeſtis, & de quibus conſtat, idque in tempore conuenienti.

Ita fecerunt boni illi Nauæ Ionam demerſuri eſſi conſcium ſceleris non ſtatim demerſerunt, ſed vt ait Rabbi Eleazar, & reſert alios Montanus Comment. in Ionam. Primb, miſerunt ſortem, vt inuenirent ſceleris reum, inuenito reo, ſceluſque palam conſciente, non ſtatim deubarunt in mare, ſed conati ſunt ad littus appellere, vt ibi Ionam relinqueret. Quia vero fluctus non permittebat acceſſum nauis ad littus, tunc ligatum demerſerunt in mare, vt viderent an eius cauſa eſſet illa tempeſtas. Cuique mare quieuiſſet, receperunt eum in nauim, & iterum mari furenti ob eum receptam, eum iterum demerſerunt; ſedato verò ſtatim maris, ruruſus Ionam in nauim retrahunt; ſed com-